



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt L. Tragico Mauritij Imp. exemplo ostenditur, quàm justa sint iudicia
Dei, immò & quàm clementia, si quem publico, etiam per carnificem,
supplicio affici, aut ferro excindi patiatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

justis artibus pecuniam facit. Rectè igitur Deus, ob Davidis peccatum, pestem intulit populo Davidis. Quod poenæ genus à Deo venire, longè clarius est, quàm bella: cum pestem, per causas naturales exortam directè possit velle, nullà culpà interveniente; bella autem, quæ injustè suscipiuntur, non possit velle directè, sed tantùm diuinæ providentiæ suæ æquitate permittat, in scelerum vindictam; sicut ipsos cacodæmones subinde relaxat, sinitque, tamquam justitiæ ministros, per provinciam, vel domum grassari, quos alioqui diuinâ suâ virtute constrinxisset, & ne nocerent terræ aut mari, cohibuisset. Itaque siue morbos, siue mortes, easque seu publicas, seu priuatas audiamus, Psal. 144. 17. semper dicamus: *Iustus Dominus in omnibus vijs suis: & sanctus in omnibus operibus suis.* Quòd si autem mortes cladesque tales horremus, horreamus peccatum, causam talium calamitatum. Eo 2. Paralip. 7. cessante, cessabunt & istæ, Domino ad Salomonem dicente: *Si clausero calum, & pluuia non fluxerit; & mandauero, & praepero locusta, ut deuoret terram; & misero pestilentiam in populum meum; conuersus autem populus meus, super quos innocatũ est nomen meum, deprecatus me fuerit; & exquisierit faciem meam, & egerit poenitentiam, à vijs suis pessimis: & ego exaudiam de calo, & propitiu ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum.* Vbi aliud genus est nauis, aliud genus remi adhibendum est.

CAPVT L.

Tragico Mauritij Imperatoris exemplo ostenditur, quàm iusta sint iudicia DEI, immò & quàm clementia, si quem publico, etiam per carnificem, supplicio affici, aut ferro excindi patiatur.

I,

Georgius
Cedrenus in

Nullam aut auaritiæ luculentâ calamitate punitæ; aut inclementiæ atque inhumanitatis diuinitus insigniter castigatæ; aut etiam magnæ dignitatis de summo culmine, ob neglectos subditos, dejectæ extat horrendum exemplum, est illud, quod tum alij, tum verò prolixè Georgius Cedrenus in hunc modum narrat, magnatibusque proponit consideran-

derandum. *Mauritius orthodoxus Imperium Romanum gubernauit Annos XX. menses III. dies II. Statura fuit mediocri, robustus, albus, facie rotunda, subrufus, recaluaster, naso & barba mediocri: barbam Romano more, tondebat Patria Cappadox, iussit se in tabulis scribi Mauritium Tiberium. Coronatus est à Patriarcha Ioanne Ieiunatore, ac paulò post nuptias habuit, coniugio pariter & sceptro felix. Hic talis tantusque Imperator, in templo pius, in campo fortis, iustus in foro; suis venerandus, hosti tremendus, post multas atque insignes victorias diuersis locis obrentas, tandem (vt nulla est in secundis rebus constantia) cum aduerso Marte bellasset, quam infelix fuit pugnando, tam amissis suis pecuniis non liberandis, Deo, hominibusque factus est exosus. Audi Cedrenum.*

Anno XVIII. (Mauritiani Imperij) Priscus copias ad Sigidonem ducit. Chaganus verò suo exercitu collecto, repente in Mysiam irruit. Solemnitas Paschalis interueniens effecit, vt utrimque pacati quiescerent. Eà finita, inducia quoque dissiluerunt. Cumque multis se se mutuo cladibus affecissent, tandem exercitus Romanus partim casus, reliqui capti sunt. Tum Chaganus in Mauritium cadis populi culpam conferens, paratum se ait, captiuos accepto in singula capita nummo; rursusque binos vno nummo; denique singulos, iv. ceratijs acceptis dimittere. O quam vilia malis Principibus sunt capita militum! Illos, qui, pro patria, & vulnera, & mortem pati, qui se hosti opponere; qui nimbis, & tempestatibus, qui solibus aestiuis, qui hibernis frigoribus, qui fami & siti, & mille aquarum, ignium, hastarum & gladiatorum periculis se exponere parati sunt, vno nummo, ab hostili immanitate, redimere piget! immò binos milites vno piget numo in libertatem asserere! Quantus amor nummi! quanta obliuio humanae benignitatis? At fortasse militibus captis, apud Chaganum bene fuit? fortasse, more multorum, in vino & joci tempus consumpserunt? fortasse diem inter ludos & conuiuia, noctem inter libidines atque scorta traduxerunt? Nequaquam ita habiti sunt, vt apud hostes nunc nummati pyrgopolinicae solent haberi. Nam cum ne sic quidem, hoc est, iv. ceratijs, eos redimere vellet Mauritius, iratus Chaganus omnes occidit, fuere autem XII. millia, aestimabantur,

Annalib. In
Mauritio.

II.

supputatis in singulos duobus miliarijs, CIO CIO IOCCCCXXXIII.

III.

Pfal. 2. 10.

Peccatum Imperatoris audistis, nunc percipite & supplicium. Nam justus Iudex Deus, ne grandes impunè credantur delinquere, grandibus vititur exemplis. Atque istud inprimis mihi obseruatione dignum videtur, iratum Numen, non statim prorupisse in vindictam; totos duos annos iram dissimulauit; & quod magis mireris, post tantam iniquitatem, Mauritio rursus clarissimos de hostibus triumphos concessit. Itaque & nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, prosperis euentibus, & secundæ Fortunæ non esse fidendum. Nihili fecerat delictum suum Mauritius; fortasse & bene se fecisse, quorumdam malè, & magis crumenæ, quàm conscientiæ consulentium adulatione, arbitrabatur. Præcipuè verò placere sibi poterat, Anno XIX. die Paschatis, quo Sophia Augusta uxor Iustini, & Constantina uxor Maurity pretiosam admodum coronam consecerunt, ac Imperatori obtulerunt: Quam cùm spectasset Imperator, in magnum templum detulit, ibiq; supra sacram mensam Deo dedicans suspendit. Vides, ut etiam, qui Deo displicent, Deo sacrificent? Et utinam seipso non fallant, dum imputata sibi pietate blandiuntur! Deum, certè non fallunt. Sed hoc glaucoma oculis eorum offundit. Acheronticus præstigiator, ut, dum vel minimum quid rectè faciunt, omnia se cetera rectè fecisse existiment; dum enim sibi de re bona, aut opere pio plaudunt, errorum suorum, lethæa fraude lactati, obliuiscuntur. Enimuerò benè fecit Mauritius: anno superiore auaritiâ offendit Numen; nunc offensum placare, fortasse cœpit hac liberali donatione. Sed nondum facinus æquauit pietas. Nondum etiam Deus ab eo pœnas exegit. Nam ut etiam indignis victorias largitur, pace cum barbaris concessa, rursus Chaganus fines Romanorum intravit, & quatuor suis filijs exercitus tribuit, quibus transitum Istri custodirent. Sed Romani ratibus confectis fluium transmiserunt: præliog; congressus cum Chagani filijs Priscus, quod ab aurora ad vesperam usq; durauit, quatuor Barbarorum millia occidit, CCC. suorum desideratis. Postridie eius diei rursus VII. millia Barbarorum interfecit. Tertia die Romani de superiore loco in Barbaros irruerunt, eosq; fusos in paludem compulerunt, multosq; ibi suffocârunt, inter quos fuère Chagani etiam filij.

Ilustri

Illustri victoria tum potitis Romanis, rursus Chaganus, magno contracto exercitu, aduersus eum proficiscitur: quem Priscus congressus pugna fudit, illustrioremq; priore victoriam reportauit. Idem Priscus quatuor millia instruxit, ac Tisum amnem transire iussit, tentoria Barbarorum speculatum. Barbari tum eorum, qua gesta erant ignari, festos dies agebant & compotabant. Itaq; eos inopinantes adorti Romani ingenti clade affecerunt, cassis enim XXX. millibus Gepidarum aliorumq; Barbarorum, magna cum prada ad Priscum sunt reuersi. Chaganus denuò reparatis copijs, ad Istrum cum accederet, pugna victus est: Barbariq; in flauio submersi, & cum his magna Sclauinorū multitudo. Vini in potestatem Romanorum venerunt IIIICIOCC. Auares barbari IICIO. Chaganus cum legatos repetundorum captiuorum causa misisset, Mauritius nondum accepto tam illustri victoria nuntio, reddi eos iussit; promptior in dandis, quam redimendis militibus. Nec ea militum redditio præmio caruit, nam illico victoriæ nuntius ingens gaudium attulit Imperatori.

Hæc læta Mauritij calamitatem præcesserant, vt tristitia tantò acerbius superuenirent. Quippe eodem anno Monachus quidam, cuius vita exercitatio illustris erat, strictum gladium tenens, a foro vsque ad eneam portam procurrat, omnibus prædicens, Imperatorem gladio occisum iri. Sed & Herodianus Mauritio palam, qua ipsi euentura essent denuntiauit. Tunc etiam populus Maurum quemdam, Mauritij similem, sago indutum, coronaq; ex alijs confecta redimitum, in asinum imposuit, ac per iocum & lasciuiam acclamauit: Inuenit buculam teneram, & sicut nouus gallulus insilyt in eam, ac procreauit liberos instar lignearum nolarum. Sancte mi, sancte, feri eius caput, ne superbius efferatur: tum ergo tibi voti reus bonem offeram. Hac populus. Qua non otiose retuli: sed, vt intelligamus, ubi quis Dominū irritauit, eum ludibrio haberi ab his qui eadem cum ipso conditione seruiunt. Immò vt constet, magnorum casus, & Dei, & populi voce præmoneri. Sed nihil segniùs credunt mortales quam exitium suum. Hinc multi Mauritium peccantem, poenitentem pauci imitantur. Pergit author. Anno vigesimo Mauritii filio suo Theodosio Germani Patricij filiam despondit. Eodemq; anno in se descendens recordansq; DEO nihil clam esse, eumq; pro meritis cuiq; suis bona aut mala tribuere: tum, quam abs se peccatum esset,

esset, quo tempore captiuos redimere noluit: prestare cogitauit, ut in hoc potius, quam in futuro seculo pœnas penderet. Itaq; deprecationes litteris consignatas, ad omnes Patriarchas & Monachos, in omnia Monasteria, etiam Hierosolyma misit, ut à DEO peterent, ut ipsi non in altero, sed in hoc seculo pœnas imponeret. Hic tristium portentorum effectus fuit. Nam ijs utique se peti ratus in sede descendit, more sapientium Imperatorum, qui si quid in regnis suis aduersi accidit, continuò sumunt in documentum, discutiuntq; an non ipsi publicæ causa sint calamitatis. Felices, qui cum Mauritio discunt seuerius tribunal declinare; atque etiam precibus obtinent, ut in hac vita puniantur. Beneficium, non supplicium est, supplicium in hac vita à Deo immisum. Quod & Mauritius, tot piorum hominum precibus, beneficij loco impetrauit. Neque sanè nesciuit; se ferro perimendum. Sed suspicionem peccatum auxit. *Quin & in Philippicum impiegit, sororis sua maritum, ab eo cadem sibi parari suspicans, ex vaticinio quodam, quòd percussoris nomen à littera P H. ordiri monebat: cum quidem Philippicus insidias, omnibus modis euitaret.*

V.

Ceterùm Mauritius, cum pro eo preces passim fierent, quadam nocte in somnis, imaginatus est, se stare coram imagine Sernatoris, in porta Palatij area, multamq; secum turbam captiuorum, ipsum accusantium, tum vocem de sacra imagine exiisse, qua Mauritium sibi iuberet: ita se à ministris correptum, inq; porphyretico ibi umbilico constitutum à diuina voce interrogatum fuisse, ubinam sibi rependè vellet? se autem dixisse: Domine humanissime, Iudex iuste, hic malo, quam in altera vita; statimq; mandatum fuisse, ut cum uxore sua & liberis, totaq; familia, Phoca militi dederetur. Experrectus, statim accubito rem suam misit, qui Philippicam adduceret. Qui desperat à obid, vitâ, prius Communionem sacram expetijt, eaq; perceptâ, ad Imperatorem abiit, uxorem relinquens, qua saccum induta & cinere confersa eiulabat. Ut ad Imperatorem venit, se ad eius pedes pronoluit, sed Imperator, accubitore foras exire iusso, ad Philippici pedes accidit, inquiens: ignosce mihi frater, atroces, quas tibi intuli, injurias. Suspicabar te vita mea insidiari: sed nunc te insontem esse cognoui. Horror autem, ut dicas mihi, si quem Phocam militem in exercitu nôstrâ Noui (ait ille) quemdam, qui pridem ab exercitu missus, cum tua Maje-

stato

state iurgauit. Ac quarenti, quo is esset ingenio; respondit, esse hominem timidum, atque ferocem. Tum Imperator, Si, inquit, timidus est, homicida est, narrauitque Philippico insomnium. Vides ergo Domine, ait ille, DEVM nulla littera excidere? Ea nocte in calo visus est cometa, qui à glady forma Xiphias dicitur. Postridie Magistrinus, quem ad hoc ablegauerat Mauritius, venit, à Sanctis hoc responsum ferens: Probat DEVS respicientiam tuam, & animam salute donatâ, teque cum tota familia inter Sanctos reponit: sed Imperium cum dedecore, & periculis amittes. His auditis, Mauritius Deum magnopere predicauit.

Ceterum Petrum, qui exercitum ductabat, missis litteris, cum iuberet Istro traiecto in hostico milites in hybernis habere, multitudo ea re cognita, seditionem mouit: & Phocam Centurionem in scutum sublatum, ducem exercitus creauit, atque faustis acclamationibus salutauit. Quod ubi sensit Petrus, Byzantium elapsus, certiores ea de re Imperatorem fecit. Ergo Mauritius media nocte, habitu priuati, celocem conscendit cum uxore & liberis, ac urbe profugit: atque orta tempestate, agrè ad S. Antonomum saluus delatus est. Eademque nocte, eum articulorum dolor & podagra corripuere. Prasini verò in Regium egressi, magnis gratulationibus tyrannum Phocam honorauerunt, persuaseruntque, ut in Hebdomum veniret. Eò Patriarcha Cyriacus cum senatu exiuerunt, & Patriarcha ab eo sponsonem exegit, qua Confessionem verae fidei stabiliret affirmaretque, se Ecclesiam à turbis immuam conseruaturum. Ita ergo Phocas in Ioannis Baptista ad Imperator renuntiatur, hominiquè malo & tyranno sceptrum committitur, & calamitas patria felix Imperium occupat: quod initium fuit magnorum, quibus res Romana attrita est, malorum. Biduo post Phocas curru Imperiali in Regiam aduectus est, ac quinta die Leontiam uxorem suam, coronâ impositâ, Augustam nuncupauit. Cum autem tyrannus in uico esset, as de loci prerogatiua inter partes contenderetur populus in tumultu uociferatus est: Interrogetur Mauritius: non enim mortuus est, sed uiuit. Eo Phocas ad cadem Mauritiy excitatus, missis famulis, eum ad portum Eutropy adduci iubet. Primò quinq; filij masculi patre Mauritiio inuente, necati sunt, qui in calamitate ista, veram adhibens Philosophiam, identidem uerba hac repetebat: IUSTVS ES DOMINE, ET IUDICIA TUA IUSTA SVNT. Ita ergo Mauritium Epitaphij

VI,

nij loco habuit, liberorum cadem. In tanta autem calamitate virtutem exercuit. Cùm enim nutrix unum de regijs pueris suffurata, suũ pro eo ingulandum exhiberet, non est hoc passus Mauritius, sed suum promi iussit. Ac ferunt quidam, eo ingulato puero, cruori mixtum lac effluxisse de vulnere, qua res luctum omnibus grauem attulerit: tandem ipse quoque Mauritius, cùm lege natura superiorem se gessisset, occisus est. Capita eorum in campum iuxta tribunal abiecta, cùm iam fœterent, tolli Phocas permisit, si quis eam rem curaret. Christiani ergo ea cum truncis humârunt in fano Sancti Mamantis, prope portam Xyloceram. Alius adhuc supererat Mauritij filius Theodosius nomine ad Chosrhoem legatus, quem itidem innocentem, & innocentiae protestationem facientem, saxoque pectus percutientem, capite plecti iussit Phocas. Qui etiam anno quinto postea multos Mauritij amicos necauit, & cremauit. Constantinam cum tribus filiabus in portu Eutropij, ubi & Mauritius fuerat occisus, capitibus truncavit: multos quoque insignes viros de Palatio, & inferioris ordinis innumeros interfecit. Adeo diu & latè se se extendit pœna à Deo in Mauritium constituta poenitentem.

VII.

Quem non, etiam ferreum, tam miseranda clades percelleret? Tot victoriarum Imperator? è tantò fastigio? à suo milite? fugatur? capitur? quinquies in filiis suis pater moritur? sextam mortem ipse excipit? nec vult tenerrimum natorum superesse, per fraudem; cui, præ suo gnato, nutrix ipsa voluit parcere, dum natura reluctando, è se suisque visceribus prognatum carnifici objicit. Sed agnouit hostiam succidaneam Imperator, & quamuis prolem suam innocentè diligeret, noluit tamen laienæ objici alienam. *Ego sum, inquebat, qui peccavi, ego luam.* Et quia peccatum meum non potest vna morte expiari, sexies moriar. Et statuit hoc Deus. Numquid hæc sors dura fuit? & tamen iusta fuit, Mauritio iudicia Dei agnoscente, atque loco citationis, & muliebris questus identidem dicente: *IUSTVS ES, DOMINE, ET IVDICIA TVA IUSTA SVNT.* Non ille sortis duritiam, non Dei seueritatem accusauit. Discite hîc, mortales, in aduersis, execrationes non ferere, nec ponere in cælum os vestrum. Misericordia Dei est, si sæuiat in hoc Mundo; seueritas & ira grandis, si pœnam differens parcat delinquenti. Itaque quicumque

quicumque felicitatem dolet fugientem, cum Mauricio dicat: Iustus es, Domine, et iudicia tua iusta sunt. Forſitan & ipſe multos miſeros facit; ut ergo indignatur, ſi & ipſum in miſeris conijcit Deus? Quam multi ſuos ipſi milites hoſti cædendos vendiderunt? qui ne canes quidem ſuos ita in venatum exponunt? Quiſquis audit ſibi infidias ſtrui, imminere hoſtem, ingruere mille pericula, non fingat ſibi Philippicos, non fabricet ſuſpiciones, non accuſet innocentes; ſed de manu Dei accipiat, quidquid præſagia vatum, vox populi, aut propria conſcientia vaticinantur; dicatque ad omnia: Iustus es, Domine, et iudicia tua iuſta ſunt. Quiſquis ſolio pellitur, quiſquis, cum lob, palatium ſimo, purpuram ſcabiæ, diuitias extrema paupertate mutare cogitur, dicat: Iustus es, Domine, et iudicia tua iuſta ſunt. Quiſquis patitur ab ijs, quibus benefecit; quiſquis filium vnum poſt alterum amittit, dicat: Iustus es, Domine, et iudicia tua iuſta ſunt. Forſan & ipſe ſæpe benefactoribus ſuis malefecit. Quiſquis titulos, honores, famam, regna tota amittit, dicat: Iustus es, Domine, et iudicia tua iuſta ſunt. Forſan & ipſe alijs ſæpe de honore & fama detraxit. Denique quiſquis vitam ipſam ac ſanguinem vel ſuorum, vel ſuum fundi videt, dicat: Iustus es, Domine, et iudicia tua iuſta ſunt. Quia ſi bona accepi de manu tua, mala cur non ſuſtineam? quia inſuper hæc iudicia commerui; quia mea negligentia multos occidi innocentes; occidi enim, quos non defendi, cum defendere ex officio debuiſſem: quia captos liberare, cum poſſem, nolui; quia pecunia mea mihi charior fuit, quam vita meorum; quia, ne grandes offenderem, grandia diſſimulaui; denique quid conſulerat de ereptis mihi liberis, de morte vxoris, de enerſis opibus, de potentia ſublata? ipſe prius cauſa fui, ut tot, & tanti liberis, vxoribus, opibus, potentia ſpoliarentur. Iacobus Marchio Badenſis, ubi latrocinium in ſua ditione commiſſum didicit, vocatis ijs qui damno affecti fuiſſent, tantum eos ex fiſco accipere ſuo iuſſit, quanta eſſe, quæ amiſſent, jure jurato affirmaveſſent. Exinde latrones inſecutus apprehenſos in crucem ſuſtulit. Nempe ſe rem agnouit eorum, quæ ſub ſe fierent. Quot autem tales rei? Igitur: Iustus es, Do-

A a a

MINE,

.IIIV

Æneas Syl-
uius lib. 4. de
Alphonſo.

MINE, ET IUDICIA TVA IVSTA SVNT. Minora & pauciora sunt iudicia tua, quàm scelera mea.

VIII.

Quæ etiam tantò æquius ferēs, quantò leuiorēs sunt tuæ, quàm Mauritij Imperatoris pœnæ. Post illum occisum, Anno quinto, Phocas multos Mauritij amicos necavit, & cremavit. Constantinum cum tribus filiabus in portu Eutropij, ubi & Mauritius fuerat occisus, capitibus truncavit: multos quoq; insignes viros de Palatio, & inferioris Ordinis innumeros interfecit. Ad eò vnus Mauritij facinus in multorum supplicia, etiam post necem illius, re-
 dundauit. *Fama obtinet, ait idem Cedrenus. Theodosium Mauritij F. ad Chosroen Legatum, missus à Phoca ministris Nicææ captum, iussuq; necari, cum ad locum, cui nomen est Leucate, peruenisset. Theodosium porrò petiuisse, ut prius quàm necaretur, diuinis impetrari posset mysterijs. Quod postquam impetrauerit, actus DEO gratijs, lapidem à terra sustulisse, eoque ter pectus suum percussisse, ita orantem: Domine IESU Christe tu scis, me nulli hominum injuriam fecisse: nunc ergo mihi eueniat, ut tua iubet potentia. Hac fato caput fuisse amputatum.* Vides iterum, mi bone lector, in filio Mauritij, bonum de diuinis iudicijs documentum. Astabat iam carnifex stricto nudatoque ense innocenti: quid ille? an DEVM crudelem vocauit, ut qui necari sinat innocentem? nequaquam; sed in Spartanam, immò Christianam illam vocem erupit, inquit: *Nunc ergo mihi eueniat, ut tua iubet potentia.* Non degener à patre filius. Utinam & tu, Lector, & ego tecum hanc breuem orationem disceremus, ut quidquid nobis contingat, semper dicamus ad DEVM: *Nunc ergo mihi eueniat, ut tua iubet potentia, immò clementia: quia cum nos Mauritio grauius peccemus, leuius punimur. Sunt enim, qui non tantùm milites non redimunt, sed etiam produnt: quid dico milites? totas prouincias, totos populos, tota regna; & quidem per tot annos. In exemplum appono, quæ Famianus Strada de Margareta Belgij Gubernatrice, apud Regem Hispaniarum conquerente, his verbis refert. Illud quidem admirata est; ea qua ad Regem arcandè ipsa perscripsit. in Epistola Egmontij disertè omnia reperisse. Queritur propterea cum Rege quòd ab eius aula hac in Belgium secreta perferrentur. Es-
 sene ex intimis ministris aliquos, ingenio aut ita incallido apertòq;*

Cedren. in
Phoca.

Famian. Stra-
da de bello
Belgico. dec.
1. lib. 5. An
1566. pag. 254.

ut hec imperij arcana extrahi sibi ex ore, ex manibus patiantur? aut ita malo ac perfido, ut abdita queque consilia Principis, eius hostibus patefaciant? Sibi quidem constare, multa litterarum exemplaria, aliquo etiam autographo, qua a duobus jam annis ad Regem miserat, in manus Belgarum procerum deuenisse: quantâ cum pernicie negotiorum? quantâ cum iacturâ Regia dignitatis? Orare proinde Regem, ut videat, qua in posterum scribantur ad se littera, aut igne corrumpantur, aut per explorata fidei ministros clam ceteris afferrentur. Et tamen compertum habeo, post hac gloriatum esse Oranium apud Cbristophorum Assouillium, nullum prodire è Regis ore verbum, seu priuatè, seu publicè, quin ad eius aures in Belgium fideliter offeratur. Hanc porrò intimam scientiam magnâ quidem sibi pecunia summâ comparari, sed nusquam ara fructuosius impendi. Quippe hanc esse Principum Philosophiam, consiliorum secreta rimari: natura verò abdita otiosis relinquit. Quod si ita est; & quid vsquam inaccessum pecunia imperviumq; fuerit, quando prudentis adeo circumspeliq; Regis aula à priuatis hominibus emi potuit? Quod factum est in Hispania, an non putemus, fieri potuisse, immò factum esse in Germania? Numquid hostes nostri de similibus rebus sunt gloriati? Numquid & plurimi, qui sunt ex nostra parte, sæpius auditi sunt dicere: Fieri non posse, ut non sint apud nos proditores, per quos omnia nostra arcana consilia, vel certè plurima emânent, & ad hostes perferantur? aut res nostra toties destruat? Ego neminem volo accusare, nec cupio facere de quoquam vel minimam suspicionem. Illud audeo affirmare, supra Mauritium, utique eum peccare, qui talis est. Et melius fore ei homini, si natus non esset. Neque enim tantùm tot egregios milites, immò exercitus morti exposuit, sed tot vrbium ciues, tot pagorum habitatores afflixit, quin etiam tot prouincias est depopulatus. Enimuerò tot millia animarum, fidem ipsam Catholicam, Christum ipsum, Iuda peior, vendidit. Quale ergo supplicium meruit? An Deus est iniustus, si illum sinat mori impœnitentem, & in flammâ proijciat sempiternas? Nec est, quòd suspicemini, & alios accusetis. Vnusquisque peccator seipsum prodit diabolo. Et cùm non tot millibus aureorum, sed exigua elemosyna animam suam posset redimere ex hostis Tartarei seruitute, obo-

556 Cap. LI. Diuini iudicij aequitas, etiam in Phoca Imperatore, lum, teruncium, panis frustum pauperi esurienti non vult expendere. Quid ergo mirum, si Deus illius misericordiã non tangatur, qui sui ipsius non miseretur?

CAPVT LI.

Diuini iudicij aequitas, etiam in Phoca Imperatore, alijsq; Principibus violenter occisis, manifestatur.

I.



Georg. Cedren. in Phoca.

Vã̃m iusta fuerint in Mauritium, totamque eius domum iudicia Dei, vidimus; scire iam quis cupiet, quid autem Phocã tyrannidem inuadenti, & exercenti, ex iudicio Dei contigerit? tum etiam, cur Deus eiusmodi, in Mundo finat esse Imperatores, aut Principes? Responſionem ex eodem Cedreno dabimus. Atque, vt æquitas diuina tantò fiat illustrior, Phocas ipse priùs describendus, suisque coloribus depingendus est. Phocas Imperium accepit Anno Mundi 150. CIO, XCD. à Christo nato 10XCV. & tenuit per octennium, factus de centurione Imperator. Statura fuit mediocri, deformis, terribilis aspectu, rubente capillo, supercilys coeuntibus, mento raso, cicatrice in mala notatus, qua ipso irascente denigrabatur: vinosus, mulierosus, sanguinarius, rigidus, in dicendo ferox, a miseratione alienus, moribus feris, hereticus. Vxor eius Leontia iisdem fuit moribus pradita. Illius atate omnis generis mala in humanum genus quasi exundarunt. Nam & hominum bestiarumq; mortua est immensa multitudo: & terra fruges negante, fames; tum grauissima pestes oborta sunt: hiemeq; fuerunt adeò saua, vt congelauerit mare, ac pisces perierint. Cùm Phocas Circensiu ludos edidisset, ac sub vesperam vino se ingurgitasset, & tardius rediret, clamauit populus: Exorere Phoca, cumq; non statim ad spectaculum procederet, vociferati sunt: Rursus vinum bibisti, rursus mentem amisisti? Ob quod conuicium insania correptus multis membra pracidit, multos necauit. Inter quos & Theodosiã inuocentẽ Mauritiũ F. & viduã Imperatricẽ Constantinã Augustã, quæ frustra cù tribus suis filiabus in templũ profugit, nec factis secura fuit in monasterium conclusa. Nam ita tractata est à tyranno, vt vel hinc tyrannus posset appellari. *Fama obinet, ait Cedrenus, aliò suprà citatus, Theodosium, Mauritiũ F. ad Cosroem lega-*